

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

In Epistolam Pauli Ad Thessalonicenses Argumentum Per Des. Erasmum  
Roterodamum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

---

IN  
EPISTOLAM PAULI  
AD THESSALONICENSES  
ARGUMENTUM

PER  
DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

**T**hessalonica Macedoniae metropolis est, unde et regionis incolae Thessalonicenses appellati. Hi in fide semel accepta tanta constantia perstiterunt, ut et Pauli exemplo, civium suorum persecutiones infracto et alacri pertulerint animo, nec ullo pseudapostolorum suasu quiverint ab evangelica institutione deflecti. Quod veritus Paulus, quem non latebat pseudapostorum improbitas, quum ipsi non liceret illos invisere, misit Timotheum, ex quo reverso quum didicisset illorum constantiam, collaudat eos, gratias agens Deo. Atque id quidem agit capite primo et secundo. In caeteris tribus instituit eos in variis pietatis officiis, subindicans esse inter eos, qui nondum omnino puri essent ab omni libidine, nec deesse, qui otio dediti gravarent alios, item qui inquieti ipsi turbarent ecclesiae tranquillitatem, quos corripit iubet. Praeterea qui de resurrectione nondum satis confirmata essent opinione,

quam defunctos ita lugerent, quasi perissent, ac non potius ad meliora demigrassent. Hos instituit atque confirmat. Rursus alios disputasse de die adventus domini, quasi is praesciri praedicique possit, quum incertus sit omnibus. Verum eum ait subitum, et praeter omnium expectationem adfuturum, quo magis firmus ad omne momentum parati. Scripsit ab Athenis per Tychicum ministrum iuxta Graecorum inscriptionem, cui collegam addunt Onesimum nostra argumenta, quae incerto auctore leguntur in vulgatis exemplaribus.

## ARGUMENTI FINIS.

IN  
 EPISTOLAM PAULI  
 AD THESSALONICENSES PRIOREM  
 PARAPHRASIS

PER  
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

**P**aulus et Sylvanus ac Timotheus congregationi  
 Thessalonicensium consentienti in Deum patrem, et in  
 dominum nostrum Iesum Christum, a quibus contin-  
 gat vobis gratia et pax. Vestro profectui, sicuti par  
 est, gratulantes, semper agimus gratias Deo, vestro  
 omnium nomine, vestri mentionem facientes, quoties  
 cum Deo sacris preceationibus colloquimur, quod num-  
 quam nobis non veniat in mentem, quantum praestite-  
 rit<sup>(\*)</sup> in tuenda fidei vestrae professione, deinde quan-  
 tum laboris exhausistis ob caritatem, quam habetis erga  
 praecones evangelii, quam fortiter et constanter omnia  
 pertuleritis, freti spe et expectatione praemiorum,  
 quae dominus noster Iesus Christus promisit in vita fu-  
 tura iis, qui ob nomen ipsius huius vitae negligunt in-  
 commoda. Non peribit vobis merces recte factorum,  
 rependet is, qui spectavit quo animo feceritis, Deus et  
 pater noster. Scitis ipsi, fratres dilecti, non humana 4

(\*) Aliae: *perstiteritis*